



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Dei misericordiæ & bonitatis ad nostram indignitatem applicatio, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



## CAPVT II.

*Dei misericordia & bonitatis ad nostram indignitatem applicatio.*

I. **E**cce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur bona, sed multa mihi debentur & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hostis momentanee eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor, Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in visceribus crederis pietatis. Vnde tumet per quendam tuum dixisti: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquens, de universo populo tuo dixisti confidenter: Misericordiam meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, nullum abjicis, nullum perhorrescis, nisi qui te forte amens exhoruerit. Ergo non modo non iratus percutis; sed te irritantibus, dona, si quæsierint, tribuis, Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus.

2. Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui: peccavi, & passus es: deliqui, & adhuc sustines. Si pœnitet, parcis, si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitans, post lapsum  
 R reparas,



reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ; quid opponam, nescio, quid respondeam, ignoro: nullum confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti bene vivendi viam, dedisti gradiendi scientiam, minatus es mihi gehennam, & pollicitus es paradisi gloriam. Nunc Pater misericordiarum & totius consolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris, metuendo evadam: & redde mihi propitius lætitiæ salutaris tui, ut quæ spondes, diligendo participem. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum Deus, & refugium meum, & liberator meus: suggere, quid de te cogitem: doce quibus sermonibus invocem, & quibus operibus te placeam.

3. Scio namque, scio unum quo placaris, & aliud quod non spernis. Est utique spiritus contribulatus tibi sacrificium, & acceptator contritum & humiliatum. His me, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum præsta refugium: hoc à desideriorum passionibus pande pius refugium. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim in eorum ordine, qui credunt prospero tempore, & recedunt tentationis tempore. Obumbra caput meum in die belli: esto spes mea in die afflictionis meæ, & salus in tempore tribulationis meæ.

CAPVT